radiavit. omnis etiam mundus velut sub uno solis radio collectus. ante eius oculos adductus est. Qui venerabilis pater. dum intentam oculorum aciem in hoc splendore choruscae lucis infigeret. vidit germani capuani episcopi animam in spera ignea ab angelis in celum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi. servandum dyaconum. iterato bis terque eius nomine. cum clamoris magnitudine vocavit. Cumque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus. ascendit. respexit. partemque iam lucis exiguam vidit. Cui tanto hoc obstupescenti miraculo. vir dei per ordinem que fuerant gesta narravit. statimque in cassinum castrum relligioso viro theoprobo mandavit. ut ad capuanam urbem sub eadem nocte transmitteret. et quid de germano episcopo ageretur agnosceret et indicaret. Factumque est. ut reverentissimum virum germanum episcopum is qui missus fuerat. iam defunctum repperiret. et requirens subtiliter. agnovit eodem momento fuisse illius obitum. quo vir domini eius cognovit ascensum. Petrus. Mira res valde et vehementer stupenda. Sed hoc quod dictum est. quia ante oculos ipsius. quasi sub uno solis radio collectus omnis mundus adductus est. sicut numquam expertus sum. ita nec conicere scio. quin quo ordine fieri potest. ut mundus omnis ab homine uno videatur. Gregorius. Fixum tene petre quod loquor. quia animae videnti creatorem. angusta est omnis creatura.

Bibliothek des
Bischöflichen Priesterseminars Trier
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG